

FASTI
ANNI DOMINI
BIS MILLESIMI SEPTIMI DECIMI

QUOS COMPOSUIT
PETRUS BŘEZINA

Annum 2017 faustum, felicem.

© Petrus Březina omnia sibi vindicat iura.

Index rerum, quae hoc libello continentur

Annus Domini 2017 — pars prior	4
Annus Domini 2017 — pars posterior	5
Dies festi et memorabiles	6
Feriae scholarum	7
Annus liturgicus	8
Hora aestiva	8
Indicia astronomica	8
Lunae luminum varietas	9
Ortus et occasus solis	9
Pars litteraria	10
De tabulis funebribus	10
De Annamariolae nimia sui aestimatione	11
De maleficis Babyloniensibus eorumque punitione	12
De redituum publicorum custodibus	13
De translatore mercis furtivae	14
Imagines, quibus Gabreta silva oculis proponitur	16
Nomina locorum	17
Situs Gabretae silvae depictus	19
Pagina vacua annotationibus destinata	20

Annus Domini 2017 — pars prior

IANUARIUS

hebd.	1	2	3	4	5
Lu	2 IV	9 V	16 XVII	23 X	30 III
Ma	3 III	10 IV	17 XVI	24 IX	31 prid.
Me	4 prid.	11 III	18 XV	25 VIII	
Io	5 Non.	12 prid.	19 XIV	26 VII	
Ve	6 VIII	13 Id.	20 XIII	27 VI	
Sa	7 VII	14 XIX	21 XII	28 V	
So	1 Kal.	8 VI	15 XVIII	22 XI	29 IV

APRILIS

hebd.	13	14	15	16	17
Lu	3 III	10 IV	17 XV	24 VIII	
Ma	4 prid.	11 III	18 XIV	25 VII	
Me	5 Non.	12 prid.	19 XIII	26 VI	
Io	6 VIII	13 Id.	20 XII	27 V	
Ve	7 VII	14 XVIII	21 XI	28 IV	
Sa	1 Kal.	8 VI	15 XVII	22 X	29 III
So	2 IV	9 V	16 XVI	23 IX	30 prid.

FEBRUARIUS

hebd.	5	6	7	8	9
Lu		6 VIII	13 Id.	20 X	27 III
Ma		7 VII	14 XVI	21 IX	28 prid.
Me	1 Kal.	8 VI	15 XV	22 VIII	
Io	2 IV	9 V	16 XIV	23 VII	
Ve	3 III	10 IV	17 XIII	24 VI	
Sa	4 prid.	11 III	18 XII	25 V	
So	5 Non.	12 prid.	19 XI	26 IV	

MAIUS

hebd.	18	19	20	21	22
Lu	1 Kal.	8 VIII	15 Id.	22 XI	29 IV
Ma	2 VI	9 VII	16 XVII	23 X	30 III
Me	3 V	10 VI	17 XVI	24 IX	31 prid.
Io	4 IV	11 V	18 XV	25 VIII	
Ve	5 III	12 IV	19 XIV	26 VII	
Sa	6 prid.	13 III	20 XIII	27 VI	
So	7 Non.	14 prid.	21 XII	28 V	

MARTIUS

hebd.	9	10	11	12	13
Lu		6 prid.	13 III	20 XIII	27 VI
Ma		7 Non.	14 prid.	21 XII	28 V
Me	1 Kal.	8 VIII	15 Id.	22 XI	29 IV
Io	2 VI	9 VII	16 XVI	23 X	30 III
Ve	3 V	10 VI	17 XV	24 IX	31 prid.
Sa	4 IV	11 V	18 XIV	25 VIII	
So	5 III	12 IV	19 XIII	26 VII	

IUNIUS

hebd.	22	23	24	25	26
Lu		5 Non.	12 prid.	19 XIII	26 VI
Ma		6 VIII	13 Id.	20 XII	27 V
Me		7 VII	14 XVIII	21 XI	28 IV
Io	1 Kal.	8 VI	15 XVII	22 X	29 III
Ve	2 IV	9 V	16 XVI	23 IX	30 prid.
Sa	3 III	10 IV	17 XV	24 VIII	
So	4 prid.	11 III	18 XIV	25 VII	

Annus Domini 2017 est annus ab Urbe condita 2770.

Urbem Romam ante diem XI Kalendas Maias conditam esse ferunt.

Annus Domini 2017 — pars posterior

IULIUS

hebd.	26	27	28	29	30	31
Lu		3 V	10 VI	17 XVI	24 IX	31 prid.
Ma		4 IV	11 V	18 XV	25 VIII	
Me		5 III	12 IV	19 XIV	26 VII	
Io		6 prid.	13 III	20 XIII	27 VI	
Ve		7 Non.	14 prid.	21 XII	28 V	
Sa	1 Kal.	8 VIII	15 Id.	22 XI	29 IV	
So	2 VI	9 VII	16 XVII	23 X	30 III	

OCTOBER

hebd.	39	40	41	42	43	44
Lu		2 VI	9 VII	16 XVII	23 X	30 III
Ma		3 V	10 VI	17 XVI	24 IX	31 prid.
Me		4 IV	11 V	18 XV	25 VIII	
Io		5 III	12 IV	19 XIV	26 VII	
Ve		6 prid.	13 III	20 XIII	27 VI	
Sa		7 Non.	14 prid.	21 XII	28 V	
So	1 Kal.	8 VIII	15 Id.	22 XI	29 IV	

AUGUSTUS

hebd.	31	32	33	34	35
Lu		7 VII	14 XIX	21 XII	28 V
Ma	1 Kal.	8 VI	15 XVIII	22 XI	29 IV
Me	2 IV	9 V	16 XVII	23 X	30 III
Io	3 III	10 IV	17 XVI	24 IX	31 prid.
Ve	4 prid.	11 III	18 XV	25 VIII	
Sa	5 Non.	12 prid.	19 XIV	26 VII	
So	6 VIII	13 Id.	20 XIII	27 VI	

NOVEMBER

hebd.	44	45	46	47	48
Lu		6 VIII	13 Id.	20 XII	27 V
Ma		7 VII	14 XVIII	21 XI	28 IV
Me	1 Kal.	8 VI	15 XVII	22 X	29 III
Io	2 IV	9 V	16 XVI	23 IX	30 prid.
Ve	3 III	10 IV	17 XV	24 VIII	
Sa	4 prid.	11 III	18 XIV	25 VII	
So	5 Non.	12 prid.	19 XIII	26 VI	

SEPTEMBER

hebd.	35	36	37	38	39
Lu		4 prid.	11 III	18 XIV	25 VII
Ma		5 Non.	12 prid.	19 XIII	26 VI
Me		6 VIII	13 Id.	20 XII	27 V
Io		7 VII	14 XVIII	21 XI	28 IV
Ve	1 Kal.	8 VI	15 XVII	22 X	29 III
Sa	2 IV	9 V	16 XVI	23 IX	30 prid.
So	3 III	10 IV	17 XV	24 VIII	

DECEMBER

hebd.	48	49	50	51	52
Lu		4 prid.	11 III	18 XV	25 VIII
Ma		5 Non.	12 prid.	19 XIV	26 VII
Me		6 VIII	13 Id.	20 XIII	27 VI
Io		7 VII	14 XIX	21 XII	28 V
Ve	1 Kal.	8 VI	15 XVIII	22 XI	29 IV
Sa	2 IV	9 V	16 XVII	23 X	30 III
So	3 III	10 IV	17 XVI	24 IX	31 prid.

Dies festi et memorabiles in Bohemia

Dies festi publici

- Dies 1 mensis Ianuarii: Dies, quo restituta est res publica Bohemica [a. 1993]
- Dies 8 mensis Maii: Dies victoriae [a. 1945]
- Dies 5 mensis Iulii: Dies Cyrilli et Methodii, qui doctrinam Christianam Slavis attulerunt [*in Magnam Moraviam venerunt incerto die a. 863*]
- Dies 6 mensis Iulii: Dies, quo magister Ioannes Hussus igni crematus est [a. 1415]
- Dies 28 mensis Septembris: Dies civitatis Bohemicae [*sanctus Venceslaus interfectus est a. 929 vel 935*]
- Dies 28 mensis Octobris: Dies, quo orta est res publica Bohemoslovaca [a. 1918]
- Dies 17 mensis Novembris: Dies, quo pugnatum est pro libertate et populi potentia [a. 1939 et a. 1989]

Ceteri dies festi

- Dies 1 mensis Ianuarii: Primus incipientis anni dies
- Dies 14 mensis Aprilis: Dies, quo Christus cruci affixus est
- Dies 17 mensis Aprilis: Secundus dies festus paschae
- Dies 1 mensis Maii: Dies operae
- Dies 24 mensis Decembris: Dies proximus ante natalem Christi
- Dies 25 mensis Decembris: Primus dies festus nati Christi
- Dies 26 mensis Decembris: Secundus dies festus nati Christi

Dies memorabiles

- Dies 16 mensis Ianuarii: Dies, quo commemoratur Ioannes Palachus [*se ipse igni cremavit a. 1969*]
- Dies 27 mensis Ianuarii: Dies, quo commemorantur, qui conatu Iudaeorum excindendorum afflicti sunt, et quo hortatio ad praecavenda crimina contra humanitatem fit [*carcer ille Osuieciemiensis liberatus est a. 1945*]
- Dies 8 mensis Martii: Dies femineus
- Dies 12 mensis Martii: Dies, quo res publica Bohemica ad pactum Atlanticum septentrionale se adiunxit [a. 1999]
- Dies 28 mensis Martii: Dies natalis Ioannis Amosi Comenii [a. 1592]
- Dies 7 mensis Aprilis: Dies eruditionis [*sedes litterarum Carolina instituta est a. 1348*]

Dies 5 mensis Maii:	Seditio populi Bohemici [<i>a. 1945</i>]
Dies 15 mensis Maii:	Dies familiarum
Dies 10 mensis Iunii:	Dies, quo deletus est vicus Lidicium [<i>a. 1942</i>]
Dies 27 mensis Iunii:	Dies, quo commemorantur, qui imperio communistarum afflicti sunt [<i>Milada Horacova capitis poenam subiit a. 1950</i>]
Dies 11 mensis Novembris:	Dies veteranorum [<i>indutiae a. 1918</i>]

Publici ceterique dies festi sunt feriati.

Dies memorabiles sunt negotiosi.

Feriae scholarum

In toto territorio Bohemiae

Ad diem 2 mensis Ianuarii:	feriae circa diem natalem Christi
Die 3 mensis Februarii:	feriae post dimidiam partem anni
Diebus 13 et 14 mensis Aprilis:	feriae paschales
A die 1 mensis Iulii	
ad diem 3 mensis Septembris:	feriae principales
Diebus 26 et 27 mensis Octobris:	feriae autumnales
A die 23 mensis Decembris:	feriae circa diem natalem Christi

Feriae vernaе in singulis districtibus Bohemiae

A die 6 ad diem 12 mensis Februarii: in districtibus Pragensi VI—X, Egrensi, Carolothermensi, Falconaviensi, Nimbürgensi, Novodomensi, Litomericensi, Tetsnensi, Preroviensi, Fridecensi-Mistecensi.

A die 13 ad diem 19 mensis Februarii: in districtibus Cremsiriensi, Hradistiensi, Vsetinensi, Zlinensi, Pragensi-orientali, Pragensi-occidentali, Melnicensi, Raconicensi, Pilsnensi-urbano, Pilsnensi-septentrionali, Pilsnensi-meridiano, Reginaegradecensi, Teplicensi, Neoticinensi.

A die 20 ad diem 26 mensis Februarii: in districtibus Lippensi, Gabloncensi, Reichenbergensi, Semilensi, Teutobrodensi, Iglaviensi, Pilgramiensi, Trebicensi, Zarensi, Cladnensi, Colinensi, Cuttenbergensi, Pisecensi, Nachodiensi, Frudenthalensi.

A die 27 mensis Februarii ad diem 5 mensis Martii: in districtibus Neoboleslaviensi, Pribramiensi, Taboriensi, Prachaticensi, Straconicensi, Austensi ad Albim, Commotoviensi, Pontano, Gicinensi, Richnoviensi, Olomucensi, Sconbergensi, Oppaviensi, Frivaldensi.

A die 6 ad diem 12 mensis Martii: in districtibus Benessoviensi, Veronensi, Rocicanensi, Budvicensi, Crumloviensi, Clattoviensi, Trutnoviensi, Pardubicensi, Chrudimensi, Suittaviensi, Austensi ad Aquilam, Ostraviensi-urbano, Prostannensi.

A die 13 ad diem 19 mensis Martii: in districtibus Pragensi I—V, Blane-censi, Brunensi-urbano, Brunensi-rustico, Lundenburgensi, Godingensi, Vis-coviensi, Znoimensi, Tustensi, Tachoviensi, Launensi, Carviniensi.

Annus liturgicus

Die 8 mensis Ianuarii, qui dies baptismatis Christi est, tempus nati Christi finem habet.

Die 1 mensis Martii, qui dies cinerum est, tempus quadragesimae incipit.

Die 9 mensis Aprilis, qui dies palmarum est, hebdomas sancta incipit.

Die 16 mensis Aprilis, qui dies paschae est, tempus paschale incipit.

Die 4 mensis Iunii, qui dies pentecostes est, tempus paschale finem habet.

Die 3 mensis Decembris, qui primus dies Solis praeparationis ad adventum Christi est, novus annus liturgicus incipit.

Die 25 mensis Decembris, qui dies natalis Christi est, tempus nati Christi incipit.

Fasti Iuliani 13 diebus tardius progrediuntur quam fasti Gregoriani, sed pascha Iuliana hoc anno in eundem diem cadit atque pascha Gregoriana.

Hora aestiva

Hora aestiva in usu esse incipit die 26 mensis Martii; secunda hora Europae mediae horologium ita ordinatur, ut tertia hora aestiva Europae mediae indicetur.

Hora aestiva in usu esse desinit die 29 mensis Octobris; tertia hora aestiva Europae mediae horologium ita ordinatur, ut secunda hora Europae mediae indicetur.

Indicia astronomica

Indicatur aut hora Europae mediae aut hora aestiva Europae mediae, utra earum in Bohemia in usu sit.

Aequinoctium vernum: die 20 mensis Martii hora 11 minuto 28.

Solstitium: die 21 mensis Iunii hora 6 minuto 23.

Aequinoctium autumnale: die 22 mensis Septembris hora 22 minuto 1.

Bruma: die 21 mensis Decembris hora 17 minuto 27.

Lunae luminum varietas

luna nova

die 28 m. Ian.	h.	1 min.	7
die 26 m. Febr.	h.	15 min.	59
die 28 m. Mart.	h.	4 min.	58
die 26 m. Apr.	h.	14 min.	17
die 25 m. Mai.	h.	21 min.	45
die 24 m. Iun.	h.	4 min.	31
die 23 m. Iul.	h.	11 min.	46
die 21 m. Aug.	h.	20 min.	30
die 20 m. Sept.	h.	7 min.	30
die 19 m. Oct.	h.	21 min.	11
die 18 m. Nov.	h.	12 min.	42
die 18 m. Dec.	h.	7 min.	30

luna plena

die 12 m. Ian.	h.	12 min.	34
die 11 m. Febr.	h.	1 min.	33
die 12 m. Mart.	h.	15 min.	54
die 11 m. Apr.	h.	8 min.	8
die 10 m. Mai.	h.	23 min.	43
die 9 m. Iun.	h.	15 min.	10
die 9 m. Iul.	h.	6 min.	7
die 7 m. Aug.	h.	20 min.	12
die 6 m. Sept.	h.	9 min.	4
die 5 m. Oct.	h.	20 min.	41
die 4 m. Nov.	h.	6 min.	23
die 3 m. Dec.	h.	16 min.	47

Ortus et occasus solis

Indicantur ortus et occasus solis in gradu 50 latitudinis septentrionalis atque in gradu 15 longitudinis orientalis; Ostraviae sol oritur occiditque circiter quadrante horae ante, Egrae circiter decem minutis post. Ortum et occasum solis alii tum esse volunt, cum solis pars superior horizontem tangat, alii tum, cum solis pars media; ea, quae sequuntur, indicia ad horum sententiam accommodata sunt.

	sol oritur	sol occidit
Kal. Ian.	h. 8 min. 0	h. 16 min. 7
Kal. Febr.	h. 7 min. 35	h. 16 min. 53
Kal. Mart.	h. 6 min. 45	h. 17 min. 41
Kal. Apr.	h. 6 min. 38	h. 19 min. 31
Kal. Mai.	h. 5 min. 38	h. 20 min. 17
Kal. Iun.	h. 4 min. 58	h. 20 min. 59
Kal. Iul.	h. 4 min. 57	h. 21 min. 11
Kal. Aug.	h. 5 min. 31	h. 20 min. 41
Kal. Sept.	h. 6 min. 17	h. 19 min. 42
Kal. Oct.	h. 7 min. 1	h. 18 min. 37
Kal. Nov.	h. 6 min. 51	h. 16 min. 35
Kal. Dec.	h. 7 min. 39	h. 15 min. 59

Pars litteraria

Carolus Clostermannus (1848—1923) saeculi undevicesimi decennio nono in Pragensibus actis diurnis «Politik» seriem commentationum Germanicarum de Gabreta silva vulgavit. Eadem scripta brevia in unum librum, cui titulus est «Böhmerwald-Skizzen», collecta anno 1890 edidit. Ipse totum librum in Bohemicum quidem non convertit, sed nonnulla ex iis, quae continet, adhibuit fabulas, quas dicunt, Romanenses Bohemice scribens. Itaque lecto libro, cui titulus est «Böhmerwald-Skizzen», legenti libros, qui inscribuntur «Skláři» aut «Ze světa lesních samot», nonnullae res notae occurrunt.

Ex illo libro Germanico aliquot narratiunculas elegi et in Latinum converti. Addidi imagines, quas exceperam Gabretam silvam anno 2016 perlustrans.

De tabulis funebribus

De via subito ad sinistram deflectitur semita; quam antequam ingrederis, pes tuus tabulam longitudine distentorum brachiorum tangit et aliquot aliae prope iacent. Quis has tabulas in viam attulit? Cur hic putrescunt? Re vera nonnullae putredine vitiatae sunt. Earum praesentia tibi, amice, testimonio est te in media Gabreta silva esse. Vetus est consuetudo, ut tabulae, in quibus mortui iacuerunt, secundum viam, praecipue ad compita, ponantur ibique maneant, dum ad nihilum veniant, eos, qui praetereunt, mortis commonefacientes. Homines plerumque sciunt, qui in iis iacuerint, taciti cruce se signant et ire pergunt. Nefas est eas auferre vel ad aliquem profanum finem adhibere.

De Antonio Steffeno, qui homo dissolutus fuit, etiamnum senes narrant, quamquam iam diu humo tectus est. Hanc historiam rusticam, cum eius generis sit, cuius in fastis permultae legi possunt, in pauca verba conferam. Die ferali ille sponsonem fecit, ni unam e tabulis funebribus domum afferret et in ea dormiret; tabulam esse tabulam dixit, sive panis sive mortuus in ea poneretur. Ridens e caupona egressus in obscuram noctem mensis Novembris se proiecit, etsi hospitibus, qui repente sobrii facti sunt, capilli horrebant et duo tantum audacissimi eum magno intervallo sequebantur. Locis uliginosis et incultis fremens ventus saeviebat, cuius flatu altae piceae in silva, quae tunc intacta erat, cum gemitu flectebantur. Lumina caerulea in uliginibus micabant et avis nocturna monens clamabat: «Noli facere! Noli facere!» Antonius autem tabulam sumpsit et humeris imposuit. Subito candidum glomus e tenebris silvae exiit, crescebat, simile denique erat multitudini fluitantium alborum linteorum. Ambo illi comites, ut hoc aspexerunt, quam celerrime fugerunt. Antonii autem tabula repente tam gravis fuit, ut vix ferri posset. Nihil quidem videbat, sed a tergo sonitum audiebat, quasi ventus quateret

vela. Timere coepit; tabulam abicere voluit, sed — o horror! — non potuit, quia firme adhaerebat.

Metu propellebatur, quam celerrime poterat, et sonitum post se semper audiebat. Ita venit ad eam aediculam sacram, quae in valle est. Valde metuens trementibus labris: « Sancta Maria, » inquit, « ignosce facinori meo et serva me! » Tum primum post longum temporis spatium factum est, ut precans nomen beatissimae Dei genetricis diceret. Tabula de humeris eius decidit et silentium esse coepit. Ipse autem in genua procubuit et diu precatus est.

Postea domum rediit. Postridie tabula rursus eo loco iacebat, unde eam sumpserat. Ab illo tempore Antonius quasi mutatus fuit: maxime pius homo in tota civitate. Mortui sunt sancti et omnia, quae ad eorum memoriam retinendam destinata sunt.

De Annamariolae nimia sui aestimatione

Annamariola, quae erat pulcherrima puella corpore amplo, cute roseo, oculis nigris, animo hilari, ut puellam montanam decet, Iosephum Thalhausensem, qui pauper quidem erat, sed operari sciebat ut vix alter quisquam, ita cepit, ut eam ad insaniam amaret. Ipsa quoque eum amabat, sed minus probe, ut Evae, quam dicunt, filiae convenit, quae a viginti viris paene amantibus perlubenter circumvolitatur, quasi Celimena rustica a Moliero depicta. Iosephus autem non erat generis humani inimicus, qui insolentiis amatae suae resisteret, sed, licet alioqui ferox et audax esset, erga eam servum se praebebat obsequentem, qui ei cultores adduceret idcirco solum, ut gratiam referens risu dulci se remuneraretur.

Quis dicat, quae cogitationes et somnia animum huius virorum venatricis subierint? Certum autem est mentem eius nimia sui aestimatione ita perturbatam fuisse, ut saltuarii uxor ad Antiglum, Purstlingi alibive fieri cuperet, commodum suum etiam Iosepho praeferens. Cur hanc dignitatem adeptam non sit? Nonne multis fabulis, quas vetus avia ad rhombum stamina nens narrabat, puellas rusticas regibus nupsisse exponebatur? Cur ipsa saltuario non nubat? Nam satis pulchra est! Tum venit, qui eam ad hanc dignitatem producere posset, rei venatoriae discipulus e praedio principali; qui ei multiplices variasque blanditias dicebat atque pulcher erat. Quamquam aliquantum exspectare oportet, saltuarius certe fiet. Et Annamariola, quae nimis verecunda non erat, eum, cum aberat, sciens, ubi inveniret, invenit. Iosephus autem clam conseqeatur cogitans rem foede evenire posse, quia venatoribus non confidebat et minime huic, qui aliquando puerum quendam telo petivisset, qui nihil fecisset nisi unam piceam incidisset, ut picem effluentem colligeret. Propter unam piceam! Sescentae tunc in silva putrescebant!

Discipulus ille venatorius re vera saltuarius factus est, alicubi intra silvam, procul ab omni societate humana. Saltuarium in silva octonos menses quotannis manere oportet, quasi in carcere esset. Annamariola, nisi obviam

occurrisset, eum saltuarium factum esse vix cognovisset. Cum tempus promissi solvendi venisset, mirum in modum solvit propellens eam. Quae corpore et animo male affectis in Scachteliam decurrit. « Quod dedecus! Quod dedecus! » lamentata est torquens manus. Profundae ac strepentes aquae dedecus illud obtexerunt. « Sancta Maria! » Undae efferverant atque pulchri nigri capilli supra vertices argenteos emergerant, cum obscurus homo longo saltu in ingentem lapidem medio in fluvio situm insiluit atque alte se demisit. Res feliciter evenit. Fidelis Iosephus puellam Vidrae prius eripuit, quam vertex spumans auferret. Animo relictam cum vitae periculo in tutum attulit atque ad vitam revocavit.

« Ah Iosephe! Ah Iosephe! Utinam me a morte ne eripuisses! Ille me in stuprum illexit! »

Et Iosephus servatam ad pectus premens: « Honos tibi, » inquit « reddetur. Nube mihi! Vitam probam agemus. »

Illa ei nupsit et matrimonium eorum sex filiis et totidem filiabus auctum est. Qui cum adolevissent, omnes in opera auxiliantes patri magnum emolumentum fuerunt. Omnium auxilio tanta pecunia collecta est, ut Iosephus, qui fuisset lignator pauper, pulcherrimam villam eius civitatis emerit. Et Annamariola fidelis uxor fuit. Nunc, cum ambo iam mortui sunt, filii filiaeque de hereditate litigantes eamque quam maxime comminuentes utilitate libertatis fundorum dividendorum fruuntur.

De maleficis Babyloniensibus eorumque punitione

Fuerunt — plus centum annis ante — coniuges quidam in viculo, qui ad civitatem Stadlensem pertinet et venerabile nomen Babylonis habet, sed dialecto « Pablohna » appellatur. Hi coniuges de via virtutis ac probitatis decesserant; nullum erat peccatum, quod non committerent, quin etiam caedis necisque participes fuerant. Quamquam cruor eorum, qui in silva occisi erant, in caelum clamabat vindictam petens, Deus tamen propter infinitam patientiam morabatur, ut peccatoribus locus paenitentiae agenda daretur. Signa in caelo et in terra facta sunt, quibus illi deterrerentur atque de ira aeterni Dei monerentur. Etiam hoc frustra fuit. Audacia successibus scelerum aucta coniuges caelum provocantes descenderunt ad nefarium facinus, quod in nefanda malitia omnia, quae ad id tempus ausi erant, superavit. Mulier noctu Bonis aquis in aedem sacram irrupit atque ostensorium cum corpore Domini rapuit. Cum domum revenisset, maritum, qui id facinus fortasse horesceret, adduxit, ut corpus Domini vaccae daret, scire concupiscens, num panis ille Christus esset.

Bestia, cum panem comedisset, in genua procubuit atque voce humana verba horribilia dixit. Omnes, qui audierunt, horror invasit, sed coniuges vaccam transfoderunt. Postea panis eucharisticus, qui integer atque incolumis in stomacho eius repertus esset, ad finem suum sacrum reduci potuit.

Modus excessus est. Deo puniente mors subita atque acerba terram ab his monstris liberavit. Media autem nocte apparuit animas eorum quietem non cepisse, nam specie duarum capellarum nigrarum induti domum suam reverterunt et iis miccientibus tacitus vicus personuit. Ambo, cum sepulti essent, quiete tamen non capta eadem specie induti temporibus nocturnis revertebantur et ad galli cantum manebant.

Vicani sacerdotem Unterreichensteinensem adierunt, ut spiritus immun-dos expelleret. Clericus, qui vestimento sacerdotali exornatus venerat, capel-las aqua lustrali aspersit atque praescripta verba exorcismi enuntiavit. Illae non decesserunt, sed sacerdoti varia peccata, quae ipse commiserat, obiece-runt. Nec secundo nec tertio sacerdoti res melius evenit, nemo denique iam spiritus expellere voluit, quia omnes peccata secreta omnium fere, qui locis vicinis erant, sacerdotum ex intemperantibus capellis audierant.

Vicani, qui horribilibus spiritibus summe inquietabantur, tandem adierunt novum sacerdotem aetate florentem, patrem Veishauptum Innergefildensem. Cui diabolus, qui ore capellarum loquebatur, alium peccatum exprobrare non potuit, nisi quod in adolescentia matri tria ova furatus esset, sed hanc expro-brationem diluit, cum dixit se ova illa quidem sumpsisse et aegroto cuidam dedisse, sed matris veniam postea impetravisse. Spiritu nocenti victo pa-ter Veishauptus coniuges inquietos in locum desertissimum expulit, qualem se praebuit lacus Rachelicus. Ex eo tempore pater Veishauptus vir sanctus habebatur, sed immundae animae Babylonienses obviae hominibus fiunt ad lacum illum, ut peccatoribus documento sint, et nonnemo lignarius, venator vel mercis furtivae translator media nocte eas miserabiliter miccipientes audivit.

Ipsam lacum Deus exsecratus est. Omnes pisces, quorum antea plenus erat, mortui sunt, ut primum immundae animae pervenerunt. Senex quidam capellas aliquando videns animadvertit haedum in pectore maculam albam habere eaque capram carere. Ex quo collegit virum salvari posse, id quod adhuc nemo conatus est.

De redituum publicorum custodibus

Huius loci illecebris, quae te retinent, superatis sequere me, amice lec-tor, nova via Pustlingum. Hodie eodem eunt etiam redituum publicorum custodes, qui nobis comites hilares erunt. Hi miseri adolescentes viridi ves-titu induti, licet munere difficili fungantur, a multis contemnuntur. Omni tempestate foras exeant oportet atque Bavarici translatores mercis furtivae audaces sunt. Nonnemo in domum suam simpliciter instructam vivus non revenit, nonnullum cor iuvenile globo subdole transfixum est et ossa in viridi silva sub erice et iunipero putrescunt atque a propinquis deflentur, qui longe absunt nec cubile ultimum mortui umquam viderunt. Quis eos reprehendat,

quod intolerabilem solitudinem per laetas celebrationes inter pocula cervesiae aut per parum verecundos casus amatorios levare velint? Et quam mirae sunt opiniones de his miseris custodibus limitaneis! Ipse cognovi eos probos et fideles esse, in munere totum animum atque diligentiam ponere neque pecunia corruptos esse; nam plerique potius perirent, quam opes parvo salario partas improbe augere conarentur. In mentem mihi nunc venit historia ridicula, quam narrabo, ut appareat, quid vulgus de redituum publicorum custodibus existimare soleat.

Peccantium correctores, cum Rehbergam ante aliquod temporis spatium venissent, paenitentiam, ut solent, praedicabant, id quod certe haud raro opus est. Eiusmodi praedicatione habita unum e clericis adulescens rusticus adiit, commemorans illum dixisse, ut qui in dubio esset de eo, quod audivisset, vel qui se parum bene intellexisset, se adiret, et se ei amplioem explanationem libenter praebiturum.

«Reverendissime domine, domine peccantium corrector,» inquit adulescens, «omnia, quae dixisti, intellego, unum tamen scire velim: quid est vitium contra naturam?»

Sacerdos, qui hac simplici interrogatione aliquid commotus erat, scire cupienti hoc genus vitii, quam optime potuit, explanare conatus est. Magis magisque fulgens oculus adulescentis, qui docebatur, denique nihil dubii reliquit in cerebro eius lucescere.

«Nunc intellego, reverendissime domine, domine peccantium corrector,» inquit subito. «Ut exemplo utar, soror mea amantem habet custodem redituum publicorum et hoc est vitium contra naturam.» Historia tacet, num peccantium ille corrector adulescentem, a quo interrogatus esset, satis doctum arbitratus sit.

De translatore mercis furtivae

Narraverunt mihi etiam de translatore mercis furtivae Heinrixbrunnensi, qui magna audacia fuisset et in Luseno monte fato functus esset. Iam nescio an Buchvaldae vel alibi in confinio, cum custodibus finium concurrat, id quod antea saepe acciderat. Tunc autem res male evenit: non solum unum ex insequentibus, qui pater familiae erat, occidit, sed etiam ipse in facie telo stringenti notatus, licet faciem denigravisset, a reliquis agnitus est. Magistratus Austriaci rogaverunt, ut extra fines, in Bavaria, quo fugerat, comprehenderetur. Armati casam eius circumsteterunt et petiverunt, ut intromitterentur. Unus ex armatis ibi occidit, alius vulneratus est; ipse translator mercis furtivae in silvam erupit et ad tempus persecutionem evitavit. In locis desertis ad superiorem Rescum rivum inter Lusenum, Hochfilzum, Farrenbergumque tutam latebram invenit, etsi tota aestate ferae instar agitabatur. Translatorem mercis furtivae, praedonem ferarum, quin etiam certissimum latronem inter rusticos aliquos semper invenire constat, a quibus minus violator iuris et

legis, quam infelix, quin etiam martyr et heros esse putetur. Hoc tam in Gabreta silva valet quam in Aprutio, in Haemo, in Caucaso.

Cum familia proscripti custodiretur, alii tamen impediri non potuerunt, quin ei alimenta, tela reliquasque res earum similes suppeditarent. Per hebdomades et menses in pastorum vel lignatorum casis pernoctabat et, si res exigebat, tempestatis patiens sub caelo, quod non semper serenum fuit, commorabatur.

Diebus autem brevioribus, cum venti frigidi saevire coepissent, hiemem ac nivem praenuntiantes, refugium, quod in silva sub gementibus piceis inveniebat, nimis inhospitale esse coepit. Saepenumero Valdhauseram vel Finsteraviam, etiam in Sconaviam veterem descendit et tum huc tum illuc se devertit, caute ut vulpes speculans, ne periculum immineret. Quotiescumque armati eum exspectabant, effugit, quia monitoribus non carebat.

Cum prima nix ceciderat, maior manus armatorum circumvenit eum locum, ubi recentia vestigia praesentiam proscripti prodiderunt; antea certiores facti sunt Caesarei custodes limitanei, qui eum impedirent, ne in territorium Bohemicum fugeret. Callidissime tamquam feles silvestris per silvam et loca palustria recessit, sed frustra, nam vestigia eum prodiderunt in Lusenum ferentia, in cuius labyrintho saxeo se defendere voluit. Armati eum cautissime sequebantur. Prope cacumen alicubi inter saxa eum esse oportebat.

Vera obsidio coepit, posteaquam eum ad deditionem invitaverunt. Erat vastum silentium. Nocte appetente plurima nix de caelo delabebatur. Excubitorum praefectus suos adhortans: « Illum, » inquit, « fame aut frigore perire oportet. Modo adestote animis, ne nobis elabatur. »

Armati palliis amicti et saxo contra tela desperantis et contra nivem cadentem tecti noctem haud invidendam in acri aere montano egerunt. Nihil suspecti se movit.

Postridie homicida elabi conatus est, sed frustra et in latebram suam reverteretur oportuit. Iterum nox praeteriit.

Tertio die sub vesperum trans crepidinem saxi apparuit ille, qui obsidione premebatur. Clamans: « Volo, » inquit, « dedere me. » Responsum est: « Abiecto igitur sclopeto veni! » Statim multis locis apparuerunt armati sclopetis expeditis. Ille sclopetum ad genam celerrime applicavit atque fragor sonuit, qui montibus ac rupibus repercussus est. Deinde armatorum sclopetata fragorem ediderunt. Fumo pulveris pyrii dilapso homo perfidus non cernebatur. Armati, cum ad illum locum pervenissent, in candida nive viderunt atrum et profundum atque immensum hiatus. Translator mercis furtivae pedem in nive fallaci posuerat et in angustam foveam quasi in sepulcrum delapsus erat.

Armati domum reverterunt. Eum, quem quaerebant, secum quidem non duxerunt, sed homicidia erant expiata. Illum scilicet nocturnis temporibus ambire et cum turbine certatim ululare atque eiulare, id quod hic facit omnis, qui subita morte periit. Ni ita esset, unde orerentur soni, quos interdum edit tacita silva?



Tabulae funebres praeter viam prope aediculam sacram Hintervaidensem erectae.



Vidra fluvius, cuius aquae atrae inter magnos lapides fluunt et turbatae albescunt.



Aedes sacra Bonaquensis sancto Gunthero dicata, qui locis vicinis saeculo undecimo vitam solitariam egit.



Rehberga et loca, quae circumiacent. Ipse vicus in media fere parte est, ad sinistram in imaginis parte antica Brentenbergus mons, in horizontis parte dextra Haidla mons eminent.



Purstlingum de cacumine Luseni conspectum. In domo, quae sola in prato invenitur, olim saltuarius Purstlingensis habitabat.



Lusenus conspectus a termino, qui Bohemiam a Bavaria seiungit. In termini parte, quae videri potest, depictus est leo Bohemicus.

Nomina locorum

Multi loci, qui in Gabreta silva siti sunt, bina nomina habent, quorum alterum Bohemicum, alterum Germanicum est. Temporibus praeteritis nomina Germanica usitiora erant atque etiam in libros Latinos, tum immutata tum terminationibus Latinis aucta, venerunt. Quibus libris, quantum licuit, inspectis et cognitis eruditorum opinionibus de nominibus locorum Latine reddendis meum quoque ipsius sensum sequens nomina propria, imprimis locorum nomina, in narratiunculis supra oblatis linguae Latinae modice accommodavi et terminationes Latinas subiungens et litteras, quae a lingua Latina abhorrent, in litteras Latinas convertens. Nomina autem Latine interpretari nolui excepto nomine Bonarum aquarum, quod in libris et manu et typis descriptis usitatum est pro nomine Germanico «Gutwasser» vel Bohemico «Dobrá Voda» (etiam numero singulari invenitur Bona aqua vel Aqua bona); pauca sunt nomina, quae partim interpretatus sum, ut Sconavia vetus. Pro *w* littera, quippe quae a Latinitate optimorum scriptorum omnino abhorreat, *v* reposui. Etiam pro *k* littera, qua nonnulli recentiores etiam ante *e*, *i* vocales perverse abutuntur, *c* reponendum putavi. Littera, quam Germani *ß* scribunt, *s* geminum valet, sed operam dedi, ne syllabae in consonantem geminam exirent. *Sch* litterarum coniunctionem, qua Germani sonum Latinis ignotum excipiunt, ubi convenit, in *sc*, sicut est in lingua Germanica superiore antiqua, converti. *Chs* Germanicum *x* litterae Latinae respondet. Puncta gemina, quibus vocalium Germanicarum mutationes notantur, omisi. Pro *ie* Germanico *i* Latinum reponi solet. Sunt, qui pro *ei* Germanico tum *i* tum *e* reponi velint; id quod necessarium esse mihi non videtur.

Ecce nomina locorum, quae in narratiunculis et in imaginum inscriptionibus occurrunt:

Antīglum: mons 1253 metris excelsior quam mare et parvus numerus domorum, quae nunc ad campum, ubi redarii otii causa peregrinantes commorari possunt, pertinent; Bohemice *Sokol* (mons), *Antýgl* (domus), Germanice *Antigel* (mons et domus).

Babylōn maior et minor: olim parvi numeri domorum; Bohemice *Velký a Malý Babylon*, Germanice *Groß- und Kleinbabilon*.

Bonae aquae: vicus; Bohemice *Dobrá Voda*, Germanice *Gutwasser*.

Brentenbergus: mons 1013 metris excelsior quam mare et super Rehbergam imminens; Bohemice *Spálený vrch*, Germanice *Brenntenberg*.

Büchvalda: olim vicus, e quo nihil fere superest nisi deversorium; Bohemice *Bučina*, Germanice *Buchwald*.

Farrenbergus: mons in Bavaria 1203 metris excelsior quam mare; Germanice *Farrenberg*.

Finsteravia: vicus in Bavaria; Germanice *Finsterau*.

Haidla: mons 1187 metris excelsior quam mare et olim vicus; Bohemice *Zhůří* (praesertim vicus) vel *Huřská hora* (mons), Germanice *Haidl* (noli confundere cum alio loco, qui « Zhůří » vel « Haidl » appellatur atque hinc viginti fere chiliometra abest).

Heinrixbrunna: vicus in Bavaria; Germanice *Heinrichsbrunn*.

Hintervaida: olim vicus; Bohemice *Zadní Paště*, Germanice *Hinterwaid*.

Höchfilzum: locus uliginosus in Bavaria; Germanice *Hochfilz*.

Innergefilda: vicus; Bohemice *Horská Kvilda*, Germanice *Innergefild*.

Lūsenus: mons in Bavaria situs et Bohemiae finitimus, 1373 metris excelsior quam mare; Bohemice *Luzný*, Germanice *Lusen*.

Purstlingum: olim parvus numerus domorum, e quibus non superest nisi ea, quae olim saltuarii fuit; Bohemice *Březník* (noli confundere cum monte sancti Guntheri prope Bonas aquas, qui eodem nomine Bohemico appellatur), Germanice *Pürstling*.

Lacus Rachelicus: in Bavaria Rachelo monti subiectus; Bohemice *Roklanské jezero*, Germanice *Rachelsee*.

Rēhberga: vicus; Bohemice *Srní*, Germanice *Rehberg*.

Rescus rīvus: in Bavaria; Germanice *Reschbach* vel *Reschwasser*.

Scachtelia: vallis, per quam Vidra fluit; Germanice *Schachtelei*.

Scōnavia vetus: vicus in Bavaria; Germanice *Altschönau*.

Stādla: olim vicus; Bohemice *Stodůlky*, Germanice *Stadln*.


Thālhausera: olim viculus, nunc domus sparsae; Bohemice *Údoltí*, Germanice *Thalhäuser*.

Unterreichensteina: oppidum; Bohemice *Rejštejn*, Germanice *Unterreichenstein*.

Valdhausera: vicus in Bavaria; Germanice *Waldhäuser*.

Vidra: fluvius; Bohemice *Vydra*, Germanice *Widra*.

Horum omnium locorum situs in pagina sequenti depicti sunt.



Annotationes

Fastorum finis.